

cella uinariæ, aut certe fenestras obuerti in aquilonem oportere, uel usq; in exortum æquinoctialem. Sterqui linium & arborum radices procul abesse, omniaque odoris euitandi, facilimo in uina transitu: ficos utique et caprificos. Dolijs etiam interualla dari, ne inter sese uitia serpat, contagione uini semper occyssa. Quin & figuras referre. Ventrosa ac patula minus utilia. Picari oportere protinus à Canis ortu, postea perfundi marina aqua aut salsa,\* dein cinere sarmenti aspergi uel argilla, absterfa myrrha suffiri, ipsasque sæpius cellas. Imbecilla uina demissis in terram dolijs seruanda, ualida expositis. Nunquam implenda, et quod super sit, passo aut defruto perungendum, admixto croco, pice ueteri cum sapa: sic opercula doliorum medicanda, addita mastice ac pice. Bruma aperiri retant, nisi sereno die. Retant austro flante, luna uero plena. Flos uini candidus probatur, rubes triste signum est, si non is uini colos sit. Item uasa incalescentia, operculatue sudantia. Quod celeriter florere cœperit, odoremq; trahere, non fore diutinum. Ipsa quoq; defruta ac sapa, cum sit cælum sine luna, hoc est, in sideris eius coitu, neq; alio die coqui iubent. Præterea plumbeis uasis, non æreis, nucibus iuglandibus additis, eas enim fumum excipere. Campaniæ nobilissima exposita sub dio in cadis uerberari sole, luna, imbre, uentis aptissimum uidetur.

## De uitanda ebrietate.

## CAP. XXII.

**A**C si quis diligētius reputet, in nulla parte oportior uita est, ceu nō saluberrimum ad potus aque liquorē natura dederit, quo cætera oīa aīantia utuntur. At nos uinum bibere et iumenta cogimus, tantoq; opere, tanto labore & impendio constat, quod hominis mētem mutet, ac furorem gignat, milibus scelerum huic deditis tanta dulcedine, ut magna pars nō aliud uitæ præmium intelligat. Quinimo ut plus capiamus, sacco frangimus uires: et alia irritamenta excogitantur: ac bibendi causa etiam uenena conficiuntur, alijs cicutam præsumētib; ut bibere mors cogat, alijs pumicis farinam, & quæ referendo pudet docere. Cautissimos ex his balineis coqui uideamus, exanimesq; efferrī. Iam uero alios lectum expectare non posse, imo uero nec tunicam, nudos ibi protinus anhelos ingentia uasa corripere, uelut ad ostentationem uirium, ac plene infundere, ut statim euomant, rursusque hauriant, idque iterum tertiumque: tanquam ad perdenda uina geniti, & tanquam effundi illa non possint, nisi per humanū corpus. Huc pertinent peregrinæ exercitationes, & uolutatio in cæno, ac pectorosa ceruicis repandæ ostentatio. Per omnia hæc prædicatur sitis queri. Iam uero quæ uasa adulterijs celata? tanquam per se parū doceat libidines temulentia. Ita uina ex libidine hauriuntur, atq; etiam præmio iuitatur ebrietas. Et si dijs placet, emittur alius, ut quantum biberit, tantum edat: et pretiū uinolētiae lege accipit. Alius quantum alea quæserit, tantum bibit. Tunc auidi matronam oculi licentur,

graues produnt marito: tunc animi secreta proferuntur. Alij testamenta sua nuncupant: alij mortifera loquuntur, rediturasq; per iugulum uoces non continent, q̄ multis ita interemptis. Vulgoq; ueritas iam attributa uino est. Interea ut optime cedat, solem oriētē non uident, ac minus diu uiuunt. Hinc pallor, & genæ pendula, oculorum ulcera, tremula manus, effundentes plena uasa, et (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & iniquies nocturna. Præmiumq; summum ebrietatis libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus\* cadi, ac fere rerum oīum obliuio, morsq; memoria. Rapere se ita uitam prædicat, cum priorē diem quotidie perdant, illi uero & uenientem. Tib. Claudio principe ante hos annos xl. institutum, ut ieiuni biberent, potusq; uini antecederet cibos, externis et hoc artibus, ac medicorum placitis nouitate aliqua sese cōmendantium. Gloriam hac uirtute Parthi querunt, famā apud Græcos Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiā Nouellius Torquatus Mediolanēsis ad proconsulatū usq; è prætura honoribus gestis, tribus congijis (unde & cognomen illi fuit) epotis uno impetu, spectate miraculi gratia Tiberio principi in senecta iam se uero atq; etiā alias sauo, sed ipsa iuuenta ad merum pronior fuerat. Eademq; cōmēdatione credidere L. Pisonē urbis Romæ\* curæ ab eo delectum, q̄ biduo duabusq; noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam principē. Nec alio magis Drusus Caesar regenerasse patrē Tiberiū ferebatur. Torquati rara gloria (quādo & hæc ars suis legibus constat) non labasse sermone, nec leuatum uomitione, nō altera corporis parte. Dū biberet matutinas obijisse uigilias, plurimū hausisse uno potu, plurimum præterea alijs minoribus addidisse, optima fide non respirasse in hauriendo, neq; expuisse, nihilq; ad elidendū in pauimentis sonū ex uino reliquisse, diligenti scito legum cōtra bibendi fallacias. Tergilla Ciceronem M. filium binos cōgios simul haurire solitum ipsi obijcit: Marcoq; Agrippæ à temulēto scyphū impactū. Et enim hæc sunt ebrietatis opera. Sed nimirū hanc gloriam auferre Cicero uoluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum auidissime appræbēderat hanc palmā, edito etiā uolumine de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus, approbavit plane (ut equidem arbitror) quāta per temulentiam mala terrarū orbi intulisset. Exiguo tēpore ante prælium Aethiacū id uolumen euomuit: quo facile intelligatur ebrius iam sanguine ciuiū, & tanto magis eū sitiens. Nanq; & hæc necessitas uitii comitatur, ut bibendi consuetudo augeat auiditatē. Scitūq; est Scitharū legati, quāto plus biberint, tātō magis sitire Parthos. Est & occidentis populis sua ebrietas, fruge madida: pluribus modis p Gallias Hispaniasq;, nominibus alijs, sed ratione eadem. Hispania iam & uetustatem ferre ea genera docuerunt. Aegyptus quoque è fruge sibi potus similes excogitauit. Nullaque in parte mūdi cessat ebrietas. Meros quippe hauriunt tales siccos, nec diluendo ut

q̄ ij uina

\*ac leui ci-

ne.

10

20

30

40

50

\*fecidi

\*curatorē